



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. II. Alia difficultas expeditur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

adeo esse ejusdem ordinis : v.g. lapis habet naturam corpoream ; pro fine vero centrum terrae, in quo quiescit ; & denique gravitatem, per quam tanquam per naturalem inclinationem continuò ad illud fertur. In ordine ergo supernaturali hæc tria pariter distinguenda & admittenda sunt : nam in illo ordine gratia sanctificans tenet locum naturæ ; visio Beata est ultimus finis ad quem tendimus , & in quo solùm creatura rationalis perfecte quiescit ; & denique charitas gratiam consequens, est inclinatio in illum finem , & veluti pondus quo in Deum tanquam in centrum ferimur, juxta illud Augustini in libro Confessionum : *Amor meus pondus meum ; amore feror quocumque feror* : Unde sine charitate nulla creatura quantumcumque perfecta potest se in Deum , prout est objectum beatitudinis supernaturalis, convertere.

Præterea observandum est, hominem ex duplici capite indigere auxilio gratiæ, nempe propter naturæ sensibilis & corruptæ impedimentum, & propter finem excedentem vires naturæ ; Angelum vero ex uno solùm capite, ob excessum scilicet & elevationem objecti & finis supernaturalis. Ita colligitur ex S. Thoma hęc in resp. ad 2. ubi ait : *Converti ad beatitudinem ultimam homini quidem est difficile, & quia est supernaturam, & quia habet impedimentum ex corruptione corporis, & infectione peccati : sed Angelo est difficile, propter hoc solùm quod est supernaturale*. Ex quo patet, Janſenium & alios Recentiores, qui existimant necessitatem gratiæ efficacis ex sola infirmitate & corruptione naturæ esse desumendam, atque adeo ad statum innocentis hominum & Angelorum non debere hanc necessitatem extendi, valde hallucinari, totoque otio ab Angelici Doctoris principis aberrare. Imò & Augustino apertissimè repugnare, qui lib. 12. de civit. cap. 9. differens de discrimine Angelorum, quorum alii alius persistentibus in amore Dei, defecerunt ab illo, ita loquitur : *Aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quam illi, qui in eadem persistunt : aut si utique bonè & equaliter creati sunt, istis malè à voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad illam beatitudinis plenitudinem pervenerunt. Constat enim, quod charitas Dei diffusa sit in eis per spiritum sanctum*. Ubi totam discretionem perseverantium Angelorum à non perseverantibus refundit in Deum, à quo amplius Angeli boni in gratia & charitate perseverantes adjuti sunt. Et rursus lib. de correptione & gratia cap. 10. proponit quæstionem, utrum perseverantia Adami foret donum acceptum à Deo, subindeque referenda in Deum discretio consequens illam ? Cui respondet eodem modo loquens de Angelorum ac de lapsorum hominum perseverantia, scilicet *Deum sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset sua gratia beneficium*. Utique quid posset eorum liberum arbitrium in peccato demonum & primorum parentum, & quid posset sua gratiæ beneficium in perseverantia lapsorum hominum, & Angelorum non labentium. At in perseverantia lapsorum hominum ostendit Deus suæ gratiæ beneficium, discernens perseverantes à non perseverantibus : Ergo etiam in perseverantia Angelorum, siquidem omnino parem constituit Augustinus ordinationem & providentiam vitæ

Angelorum & hominum. Unde Fulgentius libro 2. ad Trasimundum cap. 2. pari modo describit gratiæ divinæ reparationem hominis, & custodiam Angeli à ruina, sic enarrat : *Ipsi etiam homini reparando fuit necessaria : quia non aliam flantem Angelum à ruina potuit custodire, nisi illa quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Vana est in utroque gratia operata : in hoc ut surgeret, in illo ne caderet : in illo ne vulneraretur, in isto ut sanaretur : ab hoc infirmitatem repulit, illam infirmitatem non finit*.

Addo etiam quod Augustinus concione 2. in Psal. 32. loquens de bonis Angelis, sub nomine & figura cælorum, hæc scribit : *Nec ipsi celi firmitatem sibi propriam præstiterunt : verbo Domini celi firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum : non habuerunt aliquid ex se, & tanquam supplementum à Domino perceperunt : Spiritum enim oris ejus, non pars, sed omnis virtus eorum*. Similia habet Gregorius lib. 25. Moral. cap. 8. ubi quoque Angelis accommodat illud, *Verbo Domini celi firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum, & ait, Aliis cadentibus, alios à Deo fuisse solidatos, utique similiter casuros, nisi solidati fuissent*. Demum Anselmus in libro de casu diaboli, affirmat quod in Angelis sanctis locum habet illud Apostoli : *Quid habes quod non accepisti* : ut patet ex capite 1. cui titulus est : *Quod certum ad Angelos dicatur : Quid habes quod non accepisti*. Finis verò : *Vide si non solam homini, sed & Angelo potest dici, quia non habet quod non accepit*. Item cap. 2. sic ait : *Constat ergo quia ille Angelus qui stetit in veritate, sicut ideo perseveravit, quia perseverantiam habuit ; ita ideo perseverantiam habuit, quia accepit, & ideo accepit, quia Deus dedit*. Igitur non minus Angeli quam homines indigent gratiæ efficaci ut juxta ac rectè vivant, & in bono perseverent. Unde Augustinus conc. 2. in Psal. 70. *Angeli tibi debent quod juxte vivunt, tibi debent quod bene vivunt*. Potentiam tuam & justitiam tuam iniquo : usque in altissima que fecisti magnalia. Ne putes hominem solum pertinere ad gratiam Dei, quod est Angelus, si deserat qui creavit : De quo fuit in Tractatu de voluntate Dei.

§. II.

Alia difficultas expeditur.

Dico secundò : Omnes Angeli à primo creationis suæ instanti gratiam sanctificantem receperunt. Ita S. Thomas hic art. 3.

Probatum primò ex Scriptura : nam Ezechiel. 28. Propheta alloquens Luciferum, sub persona Regis Tyriorum, ait illi : *Tu similis sumus tui, plenus sapientiâ, & perfectus in core, in deliciis paradisi Dei fuisti : omnis lapis pretiosus operimentum tuum Perficiam in tuis, à die conditionis tuæ, donec inventa est impietas in te. Quem locum etiam non omnes Patres intelligunt de Lucifero, inter quos est Augustinus lib. 11. de Genesi ad litteram capite 11. qui illum intelligit de membris diaboli, qui sunt homines mali ; committere tamen illum interpretantur de Lucifero, sub persona Principis Tyriorum. Unde sic arguo : Lucifer fuit perfectus à die conditionis tuæ, donec inventa*

inventa est iniquitas in eo: igitur aliquid per peccatum amisit, quod à die conditionis suæ acceperat; alioquin non fuisset à die conditionis suæ perfectus, donec inventa esset iniquitas in eo: Sed hoc quod Lucifer per peccatum amisit, non potuit esse perfectio aliqua naturalis, cum omnia naturalia post peccatum manserint integra in Angelis, ut est commune Patrum & Theologorum axioma: Ergo fuit aliqua perfectio supernaturalis, quæ non potest esse alia quam gratia habitualis, sub nomine signaculi Dei expressa, cum sit singularis participatio, & quasi character nature divinæ. Unde Bernardus serm. 4. in Cant. similitudinem Dei illam appellat: Ambrosius lib. 6. Exameron. cap. 8. *picuram Dei*, & Nillessus homil. 4. super Cantica: *Copiam divinæ essentia*. Ergo Lucifer à die conditionis suæ, deore gratiæ sanctificationis fuit ornatus, omniumque virtutum infusarum, veluti cælestium margaritarum, fulgore decoratus. Unde Gregorius lib. 22. Moralium cap. 18. explicans perfectiones quas à Deo in sua creatione acceperat: *In medio (inquit) ignitorum lapidum perfusus ambulavit, quæ inter Angelorum corda, charitatis igne succenduntur, claris gloriæ conditionis exiit, quem bene extortum ac protegentem dicit: omne enim quod extenti præcipimus, obumbramus. Et quia comparatione claritatis suæ, cæterorum claritatem obumbrasse creditur, ipse extensus & protegens fuisse perhibetur. Aliquos enim quasi obumbrando operuit, qui vitam magnitudinem excellentiâ majore transiit.*

Confirmatur: Lucifer dicitur loco citato in delicijs paradisi Dei fuisse: Sed ibi per paradysum non potest intelligi paradysus gloriæ, sed solùm gratiæ, cum amore beatifico, & clarâ Dei visione potius non fuerit, ut articulo precedenti ostensum est: Ergo Lucifer in prima sui conditione fuit exornatus doni gratiæ. Deinde cum subiungit Scriptura illum fuisse *perfectum in suis suis, à die conditionis suæ*, intelligit haud dubiè, eum fuisse optimè dispositum ad hanc propter quæm erat creatus: Sed non poterat Angelus ad illum finem rectè disponi & ordinari, nisi mediante gratiâ & charitate, ut patet ex conclusione precedenti: Ergo illam ab initio creationis habuit. Demum Isaia 14. eidem Luciferò dicitur: *Quomodo cecidisti de celo Lucifer qui mane orientaris: id est quomodo amisisti splendorem quem habebas? At non amisit splendorem nature, quam integram retinet: nec splendorem gloriæ, quam nunquam habuit: Ergo solùm splendorem gratiæ, quo in ipso suæ conditionis exordio illustratus est. Unde Ambrosius in Plal. 118. item. 7. *Ipse diabolus per superbiam, natura sua amiserat.**

Confirmatur amplius ex alijs SS. Patribus, qui aperte favent nostræ sententiæ: Basilius enim homil. in Plal. 32. Angelos docet cum ipsa sanctitate procreatos esse: *Non enim (inquit) velut materia creati primum Angeli, deinde consummari, procedente paulatim exercitatione, digni facti sunt, qui spiritum recipere. Sed in prima constitutione, ac ipsa massa substantia ipsorum, una instanti habuere sanctitatem.* Idem docet Damascenus lib. 2. fidei cap. 3. dicens: *Per Verbum Angeli omnes creati sunt, et per sancti Spiritus sanctificationem perfecti.* Eandem sententiam aperte docet Augustinus, varijs in locis, præsertim lib. 12. de civit. cap. 9. ubi de Angelis loquens sic ait: *Simul ut facti sunt, ei à*

A quo facti sunt, amore, cum quo facti sunt, adhererunt: eoque sunt isti ab illorum societate discreti, quod hi in voluntate bona manserunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt; mala scilicet voluntate, hoc ipso, quod à bono defecerunt. Non valet quod ait Magister Sententiarum: per bonam illam voluntatem, amorem Dei naturalem, cum quo Angeli creati sunt, esse intelligendum. Augustinus enim ibi loquitur de amore illo ac bona voluntate, quam nisi operante adiutorio Creatoris Angeli habere non potuerunt. Nam statim ista subiicit: *Et istam (bonam voluntatem) quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhererent, creavit, simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam.*

B Potest etiam conclusio probabili ratione suaderi: Angeli non fuerunt creati in minori perfectione, quam primus homo: Sed in Theologia ferè certum est, Prototypentem in iustitia originali fuisse conditum: Ergo idem dici debet de Angelo. Probatum Minor primò, quia id videtur insinuare Tridentinum sess. 5. de peccato originali, ubi dicit, *Adam per peccatum, iustitiam & sanctitatem perdidisse, in qua fuerat constitutus.* Secundo quia id aperte docet Anacletus Papa Epist. 1. dicens: *hominem idè dicit conditum ad imaginem Dei, quia in sui creatione gratiam, & ceteras habuit virtutes.* Tertio, quia id Scriptura non obicere testatur, dum ait Eccle. 7. *Deus fecit hominem rectum; rectitudo enim in Scriptura gratiam & sanctitatem significat.* Deniq; probatur, quia filij qui ex Adamo nati fuissent, si in statu innocentie perseverassent, gratiam habuissent congenitam: Ergo & ipse Adam, qui erat ipsorum caput & exemplar, illam à principio conditionis habuit.

C Aliam rationem probabilem adducit S. Thomas art. 3. hujus quæstionis, quæ sic proponi potest. In prima creatione mundi Deus omnia fecit secundum seminales & originales rationes in suis principijs, & omnibus creaturis corporibus semina indidit, quibus possint suos effectus naturales producere, ut docuit Augustinus lib. 8. super Genesim ad litteram cap. 3. Ergo cum gratia sit semen omnium donorum supernaturalium (propter quod semen Dei 1. Joan. 3. appellatur) conveniens fuit quod Deus in prima creatione spiritalis creature, eam Angelis infunderet.

D Contra hanc assertionem in primis objici potest illud quod habetur Joan. cap. 8. nempe quod Diabolus homicida fuit ab initio. Et 1. Joan. 3. dicitur: *Qui facit peccatum, ex Diabolo est: quia ab initio Diabolus peccat.* Ergo ab ipso initio Diabolus fuit in peccato, non verò in gratia.

E Sed facile responderetur, in utroq; loco verbum illud, *ab initio*, non intelligi mathematicè, & de primo instanti creationis Diaboli, sed tantum moraliter, id est paulò post mundi initium & Diaboli creationem; nam ibi fit mentio peccati quo Diabolus fuit homicida, persuadendo mortem in orbem terrarum: peccatum autem quo Diabolus decepit hominem, & mortem introduxit in mundum, non fuit commissum in instanti creationis mundi, nec creationis Angelorum, sed post hominum creationem. Addit D. Thomas quæst. sequenti art. 3. ad 1. ex Augustino 11. de civit. cap. 15. *Cum dicitur quod Diabolus ab initio peccat, non ab initio ex quo creatus est,*



peccare putandus est, sed ab initio peccati, scilicet quia nunquam à peccato recepit.

24. Objicitur secundò illud Ezechel 28. *Foramina tua in die qua conditus es preparata sunt &c.* Qui locus juxta Gregorij magni interpretationem lib. 3. Moral. cap. 18. significat Dæmonem creatum esse capacem charitatis, quâ si repleti voluisset, stantibus Angelis, tanquam positus in Regis ornamento lapidibus, inharere potuisset. Ergo juxta Gregorium, Lucifer non fuit creatus in gratia & charitate.
25. Respondeo Gregorium intelligendum esse de charitate, non simpliciter, sed aucta per merita, ut indicat verbum *repleti*, vel etiam consummata per beatitudinem & gloriam: alioquin sibi aperte contradiceret, cum ibidem paulò ante de eodem Lucifero dixerit: *Aurum opus decoris ejus extitit: qui sapientia claritate canduit, quam bene creatus accepit.* Et infra: *In medio lapidum ignitorum perfectus gratia & decore ambulavit: quia inter Angelorum corda, charitatis igne succensa, clarus gloriâ conditionis extitit.*
26. Tertio objicitur quoddam testimonium Joannis Papæ 16. quæst. 2. cap. *visis litteris*, dicentis de diabolo: *Dolet satis, & erubescit, charitatem, quam in celo nequivit habere, homines constantes ex lutea massa habere in terra.*
27. Respondetur tamen Pontificem illum ibi loqui de charitate consummata patriâ: vel si de charitate vis loquatur, habere, ibi sumi pro servare seu retinere, & verbum, *nequivit*, non denotare impotentiam simpliciter & absolutam, sed ex suppositione malitiæ suæ, sicut & cum Joan. 8. dixit Christus Judæis: *Quò ego vado, vos non potestis venire:* & cap. 5. *Quomodo vos potestis credere?* Adde quòd in aliquibus codicibus legitur: *quam Dæmon nequit habere:* quod verificatur de charitate in genere: cum enim Dæmon nunc omni gratiæ auxilio sit destitutus, est impotens absolute ad habendam charitatem.
28. Deniq; objicitur, Gratiâ esse medium inter naturam & gloriam: Ergo debuerunt Angeli creari prius in pura natura, postea gratiam, & tandem gloriam consequi.
29. Respondeo ex D. Thoma hic art. 3. in resp. ad 3. quòd quamvis gratia sit medium inter naturam & gloriam, ordine naturæ: tamen ordine temporis non semper requiritur quòd natura præcedat gratiam, aut gratia gloriam, sed sufficit sola prioritas naturæ; ut patet in Christo, qui in primo instanti conceptionis simul habuit naturam, gratiam, & gloriam.

§. III.

Tertia difficultas elucidatur.

- D**ico tertio: omnes Angeli statim ab initio acceperunt gratiam sanctificantem, per propriam dispositionem. Ita communiter docent nostri Thomistæ, contra Capreolum, & Victoriam, quos sequitur Molina in præsentis articulo.
30. Probat ex D. Thoma hic art. 6. ubi docet, quòd Angeli qui habuerunt meliora naturalia, habuerunt plus de gratia & gloria, quia fortius & efficacius in Deum conversi sunt. Et 2. quæst. 24. art. 3. ad 3. similiter asserit superiores Angelos factos esse meliores per gratiam, seu majorem & intensiorem gratiam recepisse, quia in illis fuit major conatus ad bonum: Ergo sentit Angelos per proprios actus se disposuisse ad gratiam sanctificantem.

Confirmatur ex eodem Angelico Doctore infra quæst. 95. art. 1. ad 5. ubi docet Adamum in primo instanti consensisse gratiæ, subindeq; per motum & consensum liberi arbitrij ad eam præparasse: Ergo licet Angeli in primo instanti sua creationis, gratiam sanctificantem receperint, ad eam tamen per liberi arbitrij motum & consensum præparare se potuerunt.

Confirmatur amplius: Ideò homines adulti non recipiunt gratiam sanctificantem, nisi mediante propriâ dispositione, qua libertatis usum habent pro infantibus, in quibus non exigitur illa præparatio libera: Sed Angeli statim ab initio productionis habuerunt usum liberi arbitrij: Ergo non est cur recipiant gratiam sanctificantem, aliter quàm per propriam dispositionem & consensum.

Adde quòd, per receptionem gratiæ sanctificantis inicitur amicitia inter Deum & creaturam: imò & quoddam spirituale matrimonium contrahitur: Sed amicitia fundatur in consensu manentium, & ad matrimonium contrahendum requiritur utriusq; partis consensus: Ergo gratia sanctificans non communicatur creature intellectuali, usum libertatis habenti, nisi adhuc ejus consensus.

Ex dictis inferes, Angelos in primo instanti suæ creationis elicitisse actum charitatis: quia, ut diximus, Angeli tunc receperunt gratiam per propriâ dispositionem; proxima autem dispositio ad gratiam est actus charitatis, ut in Tractatu de justificatione docetur. Unde Angeli omnes in primo instanti suæ creationis habuerunt duos actus conversionis in Deum: unum quidem naturalem in Deum ut authorem & finem ordinis naturæ; qui fuit necessarius quoad specificationem & exercitiû, ut disputatione præcedenti ostendimus: alium autem supernaturalem, in Deum ut authorem & finem ordinis gratiæ; qui licet fuerit necessarius quoad specificationem, fuit tamen liber quoad exercitiû, subindeque meritorius gloriæ; non tamen gratiæ sanctificantis, quia ab illa (ut infra dicemus) affectivè procedebat; principium autem meriti non cadit sub merito, ut communiter docent Theologi. Primus actus conversionis fuit prior alio, non prioritate durationis, sed naturæ; cum natura sit prior gratiâ, & fundamentum ipsius.

Ne obstat, si dicas duos actus realiter distinctos in eodem instanti angelico esse impossibiles: cum una operatio Angeli sit unum instans temporis angelici sive discreti. Respondetur enim, Antecedens esse verum de actibus inter se non subordinatis, secus autem de actibus ad invicem subordinatis; quales sunt conversio in Deum ut authorem & finem naturalem, & conversio in Deum ut authorem & finem ordinis gratiæ, eò quòd versentur circa idem objectum, quamvis sub diversa ratione. Unde cum Theologi dicunt, unam operationem esse unum instans Angeli; per unam operationem intelligunt omnes illas operationes, quæ quamvis sint distinctæ, habent tamen inter se subordinationem, ratione cujus possunt esse simul, & habent per modum unius.

Dices primò: D. Thomas quæst. 16. de malis art. 4. ad 14. & 15. docet quòd Angelus in primo instanti suæ creationis movebatur in Deum, in quantum est author naturæ, non tamen ut author gratiæ: idque probat in corpore articuli, quia